Alla Reale Accademia di Scienze in Napoli

De Giovanni l'autore

DE FEBRE

IN SICILIAM GRASSANTE

DE FEBRE

PER VARIAS SICILIAE PLAGAS

POPULARITER GRASSANTE

ACROASIS

AD LAUREAM MEDICINAE GENERALEM

QUAM HABUIT

IN VETUSTISSIMO CATANENSI

ARCHIGYMNASIO

M. D.

ANTONINUS DE-GIACOMO

IN FACULTATE MEDICA CATANENSI PRIOR

CATHEDRAE PATHOLOGIAE ET THERAPEUTICES GENERALIS


ANTECESSOR

REGIUS PROTOMEDICUS GENERALIS

UNUS EX ACADEMIAE JOJENIAE FUNDATORIBUS

ET

MULTARUM ACADEMIARUM SODALIS



CATANAE

TYPIS FRATRUM SCIUTO

M.DCCC.XXX.III.

» *In Scientiis naturalibus pertractandis,*
» *antiquo more Theoriam quidem colimus,*
» *sed observationibus quammaxime inni-*
» *timur.*

STRENUIS

MEDICINAE TYRONIBUS

Sac. Dominico Bellomia Hyblae, Dominico Romano Plateae, Josepho Pantellaro et Sebastiano Fichera Acis-Realis, Aloysio Longo et Antonino Chillè Leonfortis, Aloysio Anile Paternionis, Francisco Ventura-Jacona Claromontis, Francisco Lagona Militum-telluris, Josepho Scimone Siclis, Sebastiano Sirugo et Carmelo Montoneri Hyblae, Angelo Falcone et Josepho Cannizzo Licodiae Bideni, Antonino Ferrara Vallis-ulmi, Vincentio Foti Giarrarum, Cajetano Zingali et Francisco Caponetto Francifontis, Cajetano Pennuto Buxemii, Cajetano Mangano Biscaris, Sebastiano Gervasi Ferulae, Antonino Puglisi Placharum, et Dominico Anastasi Venetici

LAUREAE CORONA PUBLICE EXORNATIS

HANC SUAM INAUGURALEM ORATIUNCULAM

ANTONINUS DE-GIACOMO

FACULTATIS MEDICAE CATANENSIS PRIOR

ET

ARCHIATER GENERALIS

D. D. D.

1. Peculiaris aeris constitutio ab ineunte autumno anni 1832, multis phaenomenis metheorologicis stipata; ventis euro et coro usque ad januarium anni sequentis perenniter flantibus; pluvia immodica, continua, super alios annos, usque ad ipsum januarium protracta; alluvionibus multis; thermometro Fahrenheitiano gradum maximum 87,000 et minimum 57,000 autumno, atque maximum 67,000 et minimum 42,500 hyeme signante; barometro autumno maximum 30,420 minimum 29,540, hyeme vero maximum 30,250 minimum 29,360; accensionibus vulcaniis ex Ætnae faucibus erumpentibus; et in occidentalem montis plagam supra Brontem et Brontinos campos vulcania terrifica eructatione orta (1); (transeam enim illam quae in julio praecedentis anni,

raro quodam eventu, inter Xaccam lateris meridionalis Siciliae urbem et insulam Cossuram (2), in *corallorum syrte* proprie dicta, orta erat); terrae motibus variis; fluidi electrici aliorumque imponderabilium inexplicabili sed certa actione, multum sane in corpora organica viventia agere potis fuerat, novosque et peculiares patrare effectus, sanitatemque pervertere. Nam *illud divinum*, docente Hyppocrate, *in aere latitans*, quod populares morbos sive epidemicos vi quadam ignota et super capita millenorum animantium diffusa excitat, nihil aliud esse, quam fortuitus multarum causarum metheorologicarum concursus, qui atmospherici aeris *constitutionem* sic dictam constituat, autumamus. Et quamvis ad febres epidemicas fovendas natura cibi et potus, et miasmata ex corporum organicorum putrefactione exhalantia multum aliquando agant, nihil tamen constitutione atmospherica efficacius videtur. Extiterunt enim aliquibus anni temporibus et annonae difficultas, et mali succi cibus, et corruptus potus, et corporum sordes, et multorum mendicantium concusus atque

cohabitatio, et sordida indumenta, et miasmata exhalantia, et quamvis morbos sporadice exortos vidimus, epidemicam tamen formam nondum induerunt. Ad hanc idcirco aeris constitutionem potius referre malumus febrem illam, quae in aliquibus Insulae regionibus epidemicae caracterem induit, et quae tandem in contagii indigeni naturam conversa populatim grassatur, et Supremi Magistratus Salutis phylantropicas nuper, vigilesque curas obtinuit (3).

2. Haec sane febris sub Synocae inflammatoriae formam in origine sese patefaciens, plerumque post primam alteramque hebdomadam, raro prius, in Typhum abit, et salutem vitamque hominum minatur. Hanc summatim describere nobis mens est, nudam observationem promentes et ab omni systemate ac neoterico in usum sermone expoliatam, ut facilius illam sua tessera agnoscere valeatis. Nam in scientiis naturalibus pertractandis, antiquo more, theoriam quidem colimus, sed observationibus quammaxime innitimur.

Febris, de qua agitur, primis aegrotationis

diebus qnotidiana, meridianis horis plerumque exacerbatur; calor auctus, pulsus expansus, teres; lingua sordida, albida, subflava, marginibus et apice subrubris; facies rubefacta; oculi rubentes, lacrymosi; abdomen aliquando tensum; regio gastro-haepatica attactu dolens. Corporis lassitudo; caput leniter gravatum; levis aliquando tendinum subsultus, vel artuum superiorum tremor, vel apathia; somnus gravis aut pervigilium. Levis catarrhi limphatici caracterem haec febris aliquoties induit, et sic latitans usque ad septimam diem protrahitur.

Ita excurrente morbo, secunda hebdomada ingravescente irritatione, et ex mucosis gastricis sympatice ad cerebrum ipsum illiusque involucra delata, ac illuc sedem figente, nervosa symptomata passim sese patefaciunt, gliscunt et typhi naturam assumunt. Pulsus tunc frequentior, pavus, sub digitorum pressione facile evanescens; lingua rubra, aridiuscula, saepe sordidior; metheorismus; alvi constipatio obstinata, vel alvi fluxus biliosus periculosior; sudor nullus aut profusus, glutinosus, subfrigidus in febris

exacerbatione et decursu erumpens, omnium exhanthematum impura palus; petechiae parvae, rubellae, vel maculae rubrae per cutim conspersae; miliaris alba, rubra; vibices, et similia. Perraro haemorrhagiae, epistaxis, maelena; respiratio arctata, difficilis; tussicula irritativa. Virium defectio; tendinum subsultus frequentiores; artuum et spinae totius tremores; sopor, loquacitas, vaniloquia, delirium, aut hebetudo; aurium tinnitus, surditas (in fine bona); iris dilatata, oculi obumbrati.

Omnia tandem in pejus ruentia ultimam periodum morbi constituunt. Pulsus tunc capillares, sudores frigidi, frigus artuum marmoreum; lingua arida, squamosa; dentes fuliginosi; metheorismus; respiratio laboriosa; facies hyppocratica, anxietates, jactationes ec. Tendinum subsultus, convulsio, delirium; coma, carus, mors.

Nec silentio praeterendum, in variis istiusmodi febris mitioribus epidemiis, mortuorum numerum minimum, quantum comperimus, tres pro centenis aegrotantibus, et in epidemiis gravioribus maximum septem extitisse.

Cadavera in prima acuta periodo defunctorum ullas saepenumero organicas offensas observationi tradidere; sed morbo jam provecto, vasa meningium capillaria sanguine distencta, sanguinem sub aracnoidem effusum, pulmonis *hepatisationem* et gangraenosas echimoses, maculas rubras vel livescentes in mucosa gastro-enterica, hepar tumidum, livescens, cistim felleam bile viridi scatentem etc. *necroscopia* demonstravit.

Hic aegrotationis regularis decursus. Sed aliquando, vel constitutionis quae in illum annum dominatur caractere, vel aliis concurrentibus indigenis concausis in aliquibus Insulae regionibus aut ejusdem urbis partibus, vel individuali aegrotantium idiosincrasia morbus facile gliscens, initium omnimode nervosum pandit, et paucis diebus aegrotos interimit.

Tamen aliquoties datis anni tempestatibus, duarum plus minusve hebdomadarum stadio percurso, transit tandem febris in periodicam intermittentem ataxicam, micidialibus paroxismis frigoriferis recurrentibus, quae si

medicum non fallit, et cito non obtruncatur, intempestive aegrotos enecat.

3. De hujus morbi natura atque sede multum apud veteres disceptatum, antequam Medicina physiologica novam lucem in phaenomenis corporis humani viventis extricandis effunderet. Nunc vero temporis ad materiam putridam morbificam intus existentem recurrere, illius maturitatem sive coctionem expectare, illam a victricibus naturae viribus post initum efferum praelium foris expulsam agnoscere, salutare, et rancidas istiusmodi explicationes denuo Siciliae medicis suadere, idem est ac sanae rationi novum praelium indicere, vel ad primaevae medicinae infantiam infeliciter redire. Satis enim neotericorum periculis atque observationibus inclaruit, febrem illam ab inflammatione mucosae gastricae primo ortum trahere, et deinde sympathiarum ope alia organa nobiliora simul, et centrum ipsum nervosum aggredi, ex quo symptomata adinamica et ataxica, et ipse typhus oritur (4). Hanc plane describebat Cullenius sub synochi nomine, qui ex febre prius inflammatoria synocha

dicta, et ex tipho in secunda periodo constituitur. Et hic tyronibus animadvertendum, quod si micidialia in typho symptomata debilitatem apparentem indicent, non idcirco natura morbi mutatur, sed potius irritatio ad cerebrum translata, novam sedem possidens, debilitatis secundariae phaenomena mentitur, uti nos publicis praelectionibus sat clare vobis, amantissimi Juvenes, patefecimus.

Nec contagium ex peculiari exanthematico principio, uti petechiis, miliari vel alio quocumque eruendum; nec diversa febris indoles nec natura ex diverso apparente exanthemate repetenda. Nam sancte fatemur typhos varios et quidem contagiosos sine petechiis observasse; et e contra petechias ulla febri et contagio expertes (5).

Sic itidem in eodem subjecto, febre, de qua agitur, laborante, saepe petechiae miliari, et purpureis maculis et aliis exanthematum formis confusim mixtae visae fuere. Quanto melius monere juvasset petechias rubras et parvas, et miliarem rubram et ardentem vel prurientem, et pemphingem rubram et pure

albo plenam, minus periculum quam petechias nigricantes, miliarem albam diaphanam, et vibices late livescentes, et pemphingem cristallinam vel turbido humore scatentem indicare. Vidimus itidem surditatem, secunda hebdomada declinante ortam, cum aliqua symptomatum diminutione bonum omen constituere. Vidimus aphtas in mucosa aesophagi, oris et linguae late erumpentes, uti jam doctissimus J. P. Franck indicaverat, crisis formam sistere cum febris resolutione. Vidimus profusum aliquando ptyelismum idem afferre. Perraro autem in illa febre critica *parotitis*, aliarumque glandularum limphaticarum phlegmasia apparuit. Et tandem ingravescente etiam morbo, quotquot, delirio prius correpti, in levem soporem incidebant, levabantur.

4. Istiusmodi aegritudinis cura paucis melius remediis, ut omnis aevi optimi Observatores tradidere, quam galenica polipharmacia, aut stimulantium prodigentia absolvitur.

Nam in prima periodo, quum irritatio maxima et acuta phlogosis extat, tunc debilitantia, diluentia, oleosa, leniter laxantia,

antiphlogistica sic dicta, pro re nata, et ciborum abstinentia solummodo intus indicantur. Animadvertendum vero, quod si ab ingruente morbo, et in primis diebus oculi rubent, lacrymantur, caput gravatur, regio aepigastrica tenditur et leniter dolet, si pulsus teres, irritatus et quandoque plenus, tunc hirudines multae ad aepigastrium appositae copiosum sanguinem sugentes febrem incantamenti instar breviter levarunt, et morbi longitudinem recidere. Et oh! utinam in caloris febrilis, et vitalis reactionis prima periodo balneis subfrigidis utantur medici, uti nos in febre *carcerali* epidemica anni 1822 et alibi periclitati sumus; nam tunc experientia probante, febris saepe calor restinguebatur. Nam, quum observationibus facile liqueret quod symptomata ataxica, exceptis paucis casibus, in progressu morbi et in secunda hebdomada saepenumero evolvantur, et mors in ataxica periodo aegrotos corripit, sic si in prima periodo inflammatio extinguatur tunc mortis periculum effugitur. Cavendum interea cane pejus et angue stimulantibus remediis intus propinatis,

quae falsa debilitatis praeconcepta idea medicorum vulgo et Scotici sectatoribus male suasit; nam tunc mocosae gastricae inflammatio facile gliscens febrem exasperat, et multifaria pandit phaenomena, quae usque ad tertiam hebdomadam aegrotantes divexant; vel aliquando subdola sese facile occultans, in nervosam sic dictam, sive typhum febrem mutat. Et hic fateri mihi fas sit, quod istiusmodi morbi periculosum stadium plus male appositae methodo, quam morbi naturae debetur. Quot mala nuper, quot micidialia symptomata enata in hujusmodi febribus sub ferreo Brownonis angli regimine nobis in praxi medica videre contigit, quae nunc sub mitiori hodiernae praxis ratione perraro observamus! Nam, valeat verum, has febres *abirritanti* methodo pertractando, nec immania deliria, nec dolores viscera dilaniantes, nec intensam ariditatem, nec inestinguibilem sitim, nec distensissimas tympanites, nec lacerantes dissenterias, nec effrenatas haemorrhagias, nec similia terrifica symptomata in campum sese tulere.

Quod si individualis naturae causa, vel

initio morbi neglecto, vel medico tarde accersito, vel illius ignavia methodo inopportuna adhibita, vel aliis ignotis concurrentibus concausis in secundam ataxicam periodum morbus tandem transeat, tunc sane majori diligentia, ac summa prudentia agendum est. Nam si etiam stimulantibus remediis, ac antinervinis, sic dictis, aliquando uti licuit, non ideo illis immoderate et sine ullo discrimine abuteri datum; et medicis id suadere et precipue tyronibus idem est ac laethiferum gladium illorum manibus tradere. Ad externa tunc potius stimulantia et ad revulsivam methodum audacter confugiendum, et rubefacientia, vesicantia, litus resolventes, balnea calidiora simplicia, vel habito respectu leniter aromatica, fotus calidi pedibus admoti et insimul frigidi et nix ipsa in sincipite et calvaria, et similia optime aegrotis adjuverunt.

Si autem venter nec tumeat nec doleat, et lingua madida, et vires prostratae, et secretionum tarditas, tunc, uti clinici ajunt, ad promovendam crisim pulverem James, vel antimonialem propinare optimum fuit

consilium, et multoties fortunate aegrotis propinavimus.

Quum autem aliquis sopor, vel coma, hoc ipso in casu nuper descripto copuletur, pauca gummi resinae camphorae grana in mucoso vehiculo soluta potissimum profecere.

Itidem monere juvat, quod si artuum tremores potius quam tendinum subsultus aut convulsiones extent, et totius spinae dorsalis obscurus motus undulatorius, dummodo nec oculi membrana *albuginea* rubeat, nec mucosa gastrica irritationem pandeat, et facies collapsa sit, moschum praeferri autumamus; in quo casu multum levaminis adduxisse pluries experti.

Si tandem in febrem perniciosam intermittentem, uti ante diximus, morbus transit (et saepius transire visus fuit), tunc ad febrifugum Peruvianum, uti ad sacrum Palladium, cito confugiendum. Et hic liceat omnibus patefacere, quod his in casibus non tantum pulvis perquam tenuissimus Cinchonae officinalis usitatioris et illius ulla praeparata, quantum Chininae Sulphas, neotericorum divinum inventum, ad aegrotantium vitam

cito ac tuto fulciendam omnimode melius valuerunt.

Quod totum facile demonstrat quam perniciosum sit dubitationem aliquam circa Chininae Sulphatis bonum effectum in clinicem apud tyrones relinquere, a qua detrimentum potius quam levamen Clinice medica pateretur (6). Quanto rectius foret penitiores ac accuratiores de Chininae Sulphate animadversiones promere, quae illius usum faciliorem reddant atque roborent! Sed illuc, unde divertimus, redeamus.

5. Febris de qua agitur nondum autem omnino nova, uti aliqui proclamarunt. Multis enim abhinc annis per varias Siciliae civitates populariter grassabatur; et Patres nostri anno 1793 Catanae ejusdem naturae epidemiam observarunt, qua non pauci juvenes et quidem robustiores perimebantur, et potissimum illi, quibus Cortex Peruvianus inconsulte propinabatur. Anno 1805 sodalis noster Ferdinandus Cosentinius, anxiis efflagitationibus Tauromenium accersitus, similem febrem petechialem epidemicam bono eventu curavit. Ejusdem naturae, sed majori

inflammatorio acumine stipata, habito respectu individualibus aegrotantium conditionibus, vivendi more carnibus et multo Lyaeo indulgentibus, illa febris fuit, qua maxime Brittanni milites in Sicilia degentes divexati fuere, et quam anno 1812 Ziermannus filius describebat (7). In Catanae regione anno 1814 iterum visa fuit. Itidem in aestate anni 1817 Messanae Civicum Nosocomium invasit, et valde afflictavit (8). Rursus Catanae anno 1822 et sequentibus 1823 et 1829, in individuis Castro Ursino detentis, similem febrem ex Provincia deductam et loci miasmate fotam atque adauctam nobismetipsis observare contigit, quam antiphlogistica methodo et felici omine curabamus (9). Anno deinde 1824 Castri-Leonis Civitatem invadens nos illius curationem, ex pathologicis relationibus periodicis consilio dreximus donec extinguebatur. Similem febrem anno 1828 Panormum multa caede occupantem describebat D.r Vitus Marletta antiphlogistica methodo curatam (10). Hinc Commissionis *Sanitariae* Provincialis Vallis Catinae munus gerentes anno 1829 Aci Reali nos iterum illam petechiis stipatam

invisimus; et sub cadentem annum 1830 Agyrii, ubi Supremi Salutis Magistratus nutu simul cum Vallis Catinae optimo *Intendente* accessimus; et postea mense septembris 1831 Brontem eodem mandato acciti, illam reperimus; et paucis remediis, munditie, et aegrotantium separatione, Supremo Salutis Magistratu adprobante, breviter dissipatam vidimus. Adhuc praeterito anno 1832 Calatanissettam, in ejusque Provincia Terramnovam, Hennam, Petrapertiam, Nixemim, Barrafrancam ec. irrupit, et valde afflictavit; de qua Catanensis Medica Facultas, illius Vallis *Intendentis* efflagitationibus rogata, consultum dedit non sine bono eventu (11). Nunc tandem Agrigentinam Vallem, ipsumque Agringentum infestans, in Drepanum (12) quammaxime saeviit, et ad Siciliae Caput, ubi antecedentibus annis 1829, 1830, et 1831 degerat, non jam contagii causa, sed atmosphérici aeris conditionibus faventibus iterum pervenit (13). Interea temporis per Calatajeronem, Albam-villam, aliasque hujus Vallis populationes excurrente, nos illam in Acis Trizzae incolis observabamus, ubi socius

noster Vincentius Reguleas missus fuit; et hic etiam Catanae, quae est Caput Vallis, in sectione *Civita*, sic dicta, ab excursò aprilis mense sese obtulit: ubi incolae piscatores, inopia jandiu confecti, exuberanti atque inconsueta abundantia piscationis alecularum (*Clupea encrasiculus* Linn.), sardarum atque sardiniarum (*Clupea sprattus* Linn. *major et minor*), vacuos ventres non solum explendo, sed cados salsamentarios ex illis piscibus pro more in propriis parvis abituris conficiendo, faetidum miasma putrefacta percolatione exhalante, in hanc febrem etiam, quasi per concausam inciderunt.

Hisce positis, si mea abutar sententia, has febres nec novas nec multa attentione dignas patres nostri variis temporibus observarunt, nos multoties vidimus, et posteri itidem videbunt. Nam Sicilia calidissima Europae pars inter gradum 36 et 38 latitudinis septentrionalis, et gradum 10 et 13 longitudinis orientalis sita, Africam contra, non jam omnimode Zonae torridae febres a variis auctoribus apposite descriptas, sed illis

saltem quasi propinquas interdum nobis offerre facillimum est.

Constitutiones enim gastricas dominantes pluries inspeximus ad sex menses plerumque, et aliquando ad annos protractas, sive, ut ajunt Clinici, permanentes, quae febrem nunc descriptae affinem constituunt, uti optimi omnium temporum Observatores libris mandarunt.

6. Et hic, priusquam meae oratiunculae finem imponam parumper digrediens, silentio praeterire non possum, quod aliqui blaterarunt, autopsiam nempe cadavericam instituere in febre epidemica de qua agitur, minime necessarium. Nam si unquam cadaverum sectiones ad illustrandam morbi naturam atque sedem necessariae fuere, in acutissimis et epidemicis morbis potius quam in cronicis utiliores multis ex causis esse facile evincitur.

In corporis enim affectionibus lente excurrentibus commodius medico constantium symptomatum syndromen colligere, signa scrutari, sedemque morbi conjectura assequi; sed in acutis maximo irruentibus impetu, ubi

symptomatum congeries multiformium insurgit, nec tempus nec quies ad rectam naturae morbi, illiusque sedis perquisitionem conceditur, occasione praecipiti medicum linquente, cita mors hominum vitas eripit. Hinc omnimode quod in viventibus non clare liquet in cadaveribus inquirere necessum est, reliquiasque omnes offensorum organorum anathomico scalpello, et oculorum acie perlustrare.

In epidemicis desuper febribus et populariter grassantibus, natura sedesque morbi semel inventa, cognita, statuta multorum centenorum et millenorum hominum salutem saepe tulit; nam febris epidemica aut contagiosa ejusdem semper indolis invenitur, nec facile mutatur, immo vero etiam alios acutos morbos in suam trahit ditionem; et idcirco curandi methodus semper eadem sistitur.

Quid juvat enim in cronicis morbis si vitia organica medico innotuerunt, quum plerisque in casibus nullum aegrotis auxilium afferre, ob texturae organorum degenerationem atque destructionem, potis est? Non

ita in acutis; nam viscerum morbosa affectio, quamvis multifaria patret phaenomena, non adhuc profundam labem visceribus induxit, quo facilius evelli, et in aliud organum cieri potest.

Et quamvis nobis penitioribus nostrorum majorum observationibus de laesione in organis repperienda edoctis, autopsiam cadaverum quandoque praetermittere liceat, tamen illam instituere semper laudabile fuit, et ut diagnosis praeconceptae sanctique judicii veritatem ipsismet oculis comprobemus, et ut differentias gradus affectionis in uno potius quam in alio viscere inspicientes, symptomatum rationem ex morbi sede melius depromere, et efficaciori methodo aegrotis opitulari valeamus. Num febris sudatoria Britannica, febris flava Americanorum, febris Hungarica, febris sic dicta haemitrithaea Daciae, multaeque aliae febres epidemicae, quae variis terrarum orbis plagis, variisque temporibus debacchatae sunt, eamdem plane sedem habuere? Num nullius momenti in typho Europaeo (*Dothinenteritis* recentiorum) iniquae in cadaveribus perquisitio-

nes Doctorum Louis et Brétonneau in glandulas Peyerianas et Brunnerianas; quarum organicas affectiones quasi specificum caracterem illius morbi tandem constituunt? Praetermittam nuper extinctum micidialem Choleramorbum, quia Deo favente, felici inexperientia eum non novimus, nec de illo examen ullum instituere, nec novas in medium afferre methodos, uti aliqui insulani Doctores purgationibus Le-Roy vel inconsulta insitione, audemus (14). Quot summorum virorum preclari labores, quot pericula bene exarata circa illius Europae alienigeni Demonis sedem!!! Num quia votis adhuc non responderunt facile damnamus!

Quod si forte tandem cadaverum dissectio in morbis epidemicis et contagiosis pertractandis nullam affert ad illorum naturam atque sédem cognoscendam explanationem, nobismetipsis tamen factum est satis, qui viam ullam intentatam ad accuratiorem morbi notionem adquirendam non

tum volui, Amatissimi Juvenes, qui in hoc vetustissimo Siculorum Archigymnasio ex variis Insulae regionibus numerose convenistis, ut vos redderem certiores, hanc febrem in Sicilia consuetam esse atque constitutionalem, nec magni momenti, quum leni et apposita methodo initio pertractetur; nec causae passim expositae, uti fimi in propriis domunculis conservatio, nec cadaverum in sepulcris putrefactio, nec malae cloacarum constructiones, nec stabulae immunditia scatentes, nec lanienarum putrefactae exhalationes, nec locustarum (*grillus migratorius Linn.*) ex oriente et propinqua Africa emigrationes, nec caetera similia, vere et exclusive febrem illam genuerunt, quae tanquam concausae reputandae sunt; et si aliquoties illam excitarunt, facillime disperso miasmate dissipata fuit, nec Epidemiae formam assumpsit. Nam hujusmodi causae saepe in variis Insulae regionibus extitere quin febrem epidemicam adducerent, et e contra in aliquibus Insulae partibus ortam vidimus, ubi dictae causae incognitae penitus fuerunt.

Hinc, ne Scientia detrimentum patiatur,

quod per quadraginta annorum decursum, quantum nobis innotuit, circa illius febris ejusdem fere semper indolis in nostra Insula epiphaniam, et documentis et nostra observatione demonstrare datum fuit, hoc totum vobis, optimi Candidati, dicamus. Sit haec exemplo vestris ulterioribus in Insula investigationibus circa alios indigenos vel consuetos morbos, ut illos intimius scrutando, et melius agnoscendo ad Topographiam Medicam Insulae redigendam tandem perveniamus, quae maximam utilitatem clinicae medicae Siculae pariet, et de qua nos alibi mentionem feceramus (15). Vos interim hippocraticam Scientiam callentes fida observatione suffultam, omnes boni, aliique optimi, qui difficilem certamen certantes aureo hujus Archigymnasii numismate (16) donati fuistis, veritatem colitote, quod nobis volupe est. Et Deus vos sospitet (17).

ANNOTATIONES

(1) Vide = *Memoria sopra l'Eruzione apparsa nella plaga occidentale dell'Etna la notte de' 31 ottobre 1832, di Mario Musumeci Socio attivo dell'Accademia Gioenia; letta nella tornata ordinaria della stessa il 23 dicembre 1832.*

(2) Vide = *Relazione de' fenomeni del nuovo vulcano sorto dal mare il 20 agosto 1831, del Porf. Carlo Gemmellaro = Catania dai torchi della Regia Università.*

(3) Vide = *Rapporto della Facoltà Medica presso il Magistrato Supremo di Salute del Dr. Pietro Polara = Palermo 7 Maggio 1833.*

(4) Vide = *Le Proposizioni di Medicina del Dr. Broussais tradotte in lingua volgare — Catania presso Giuseppe Pappalardo 1831. Proposizione 138 —*

amplexari suaderem, sed ut illius dominans systema aphoristice expositum facilius cognoscere possint, et quae bona aeque, et quae mala, uti in meis praelectionibus explicabam, facilius discernere valeant.

(5) Vide = *Atti dell' Accademia Gioenia tom. 2. pag. 221 Cenni Patologici sopra una Dermorragia sanguigna; memoria del Soc. Antonino Di Giacomo. Catania da' torchi della Regia Università degli Studj 1827.*

(6) Vide = *Giornale Clinico di Palermo, fascicolo 2. pag. 68.*

(7) Vide = *De febre in Sicilia praevalente tentamen. Messanae anno 1812. Typis Litterii Fiumara ec.*

(8) Vide = *Sulla febbre osservata nello Spedale civico di Messina ne' mesi di giugno e luglio del 1817. Cenno del Dr. Santi Romeo ec. Messina 1817 presso Giuseppe Pappalardo ec.*

(9) Vide = *Sulla Malattia febbrile sviluppatasi in Catania nelle Carceri Centrali della Provincia nel febrajo del 1822. Memoria del Dr. Domenico Orsini ec. In Catania 1832.*

(10) Vide = *Breve storia della febbre epidemica comparsa in Palermo in gennajo 1828; scritta dal Dr. Vito Merletta. Palermo Tipografia Baldanza 1828.*

(11) Vide = *Giornale d' Intendenza del Valle di Catania agosto 1832 pagina 135. Consulto Medico.*

(12) Vide = *Sulle febbri Tifoidi regnanti in Trapani. Discorso del Dr. Domenico Greco = Effemeridi di Scienze e Lettere per la Sicilia num. 17; maggio 1833.*

(13) Vide = *Sulle febbri gastro-nervose dominanti nelle Prigioni di Palermo ec. Memoria di Tommaso la Russa. Palermo presso gli Eredi Abbate 1833.*

(14) Vide = *Sul Choleramorbo Progetto del Dr. Gaetano Algeri Fogliani ec. Palermo dalla Tipografia di Filippo Solli 1832.*

(15) Vide = *Discorso sullo stato attuale della medicina in Sicilia, e sui mezzi di meliorarla, del Dr. Antonino di Giacomo*

(16) Hoc aureo numismate, signo Charondae = *De Athenaeo Catanesi benemeritis* = signoque Minervae Candidatum redimientis = *Doctarum praemia frontium* = inscripto, quotannis strenui Tyrones in scholasticis pubblicis certaminibus facile principes donantur, et papiro certaminis palmam obtestante a Magno Cancellario Universitatis Studiorum et ab Cathedrae Antecessore subscripto, et signo Universitatis munito.

(17) Dum sub praelo haec mea Oratiuncula extabat, amicissimi mei atque sodalis Anastasii Cocco epistola ad antecessorem Franciscum Prunerium Monachii scripta mihi pervenit, in qua eleganti italico sermone febrem Messanae in mense martio 1833 observatam exacte describit, et sanum judicium de illius natura, et rationalem methodum laudabiliter ille promit. Vide = *L'Osservatore Peloritano num. 57; 17 luglio 1833.*